ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

De ASELLO, ad C. Hugenium.

Non mihi quadrupedem designas, Scriptor, Asellum,
Quem sibi Graecizans nuncupat Hellas ὄνον.
Namq; Asinos quoq; Tethis habet. fert aequor Asellos.
Sed quos Tethis habet, quos mare, sunt ἄποδες.
Tu bipedem vides. quem si non dicere doctum,
Ὠκεανός, curat dicere Πουρανός.

Itane, mi Hugeni, si inter nos ἀμοιβὴ sit literarum cum Asello res sit? itane rem lusam interpretaberis, et non potius alloquium ϖζοειδὲς ἢ εὐπρόσφορον? Offendit me non parum illa tua ταπείνωσις, qua te Asello isti cognominem facis. aut si Asellorum κοινότητα esse velis, dicam non congruere personae tuae. Quod si tamen hanc ipsam appellationem me benigne interpretari velis, nempe, ut innuas, non magis te mutum esse, quam

Asellus iste, quem videtis hospites
Consaremare fasciatim Epistolas;

condonabo ingenio tuo eruditam catachresin. nec exprobrabo rem ultra, quia admiscuisti acumina, et humiliter nimis de te sentiendo allusisti non iniucunde, illepideve. A mutis piscibus proverbium torqueri in silentiarios (horum etiam meminit Justinianus tuus) equidem scio. Scio et illud, Asellum istum [illegible] à piscium natura et Principum silentiariis quam longissime abire. Sed ab istorum hominum ordine secerni te volo, vel tuomet iudicio, cuius oratio minime sterilis est, aut levibus ac inanibus sonis eloquentiam corrumpit. Ventosae loquacitatis voces illis linquamus, tibi solidae eruditionis debemus. Battologiam illi sibi vendicant, modo tu flumine largo

Plenus, Pierio defundas pectore verba.

Saturnalia aut potius Bacchanalia nunc agimus: ideoq. de ASELLIS iocularia scribi minime nefas puto. Asellum mare habet, sed & terra. alter spinas, alter amicos numerat: alter aquis, alter epistolis gaudet: alter natat, alter amat: alter friget, alter calet: alter sale condiri amat, quia cum vivebat, animam pro sale habuit, alter sapientiae succo

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 46
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/583

immortalitatem affectat: alter infra, alter supera petit: alter spirat, alter respirat: alter comedi amat, alter comedit: alter caudatus est, alter togatus: alter coctus placet, alter doctus: alter Tseridi, alter Tsemidi sacer: alteri terra, alteri mare inimicum: alter, si vetus sit, sapit minus, alter aetate sapit magis. Vale Vir praestantissime ac doctissime, et hoc tempore ineptienti ignosce. Literas et elegantia responsa elicere dum studuisti, elicuisti nugas. Lugd. Batavor. IV Non. Mart. CIƆIƆCXXXI.

Nob. Tuae
Studiosissimus
C. Barlaeus.

Quod in Vitruvium Midam strinxisti
Epigramma, acutum est et succulentum.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 46
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/583

Aen mijn heere,
mijn heere Constantinus Huijgens
Ridder, heere van Zuylichem, Secretaris
van sijn Hoogh. Excellentie
woonende in de nieuwe houtstraete

Haghe

port

5. Mart. 31.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 46
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/583